



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Henr. Harphii Theologi Ervditiss. Ordinis  
Minorvm, Ac Rervm Divinarvm Contemplatoris eximij.  
Theologiæ Mysticæ Libri Tres**

**Henricus <Herpius>**

**Coloniæ, 1611**

De mercenarijs, & seruis infidelibus. Cap. XVIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37362**

us arcus superædificetur: & cum factus fuerit, subtrahuntur signei arcus, & per se subsistit: ita etiam est in ædificio spirituali, in quo oportet fieri arcum diuini amoris, qui totum contemplationis opus portet: & quia homo primò imperfectus est in Dei amore, si hunc amoris arcum construere debeat, oportet ut in primis potissimum se exercitet in talibus meditationibus, quæ cor suum ad desiderium Dei accendere valeant, ut arcum istum amoris superædificare possit. Cùm autem sic se inflammatum inuenit in affectu, excitare debet seipsam in ardorem amoris, & vnitionis Dei magis aspiratiuis desiderijs, quam meditationibus. Et cùm se hoc modo continuis exercitijs, & aspiratiuis desiderijs frequenter compulerit in amorem Dei (vniuersas animæ vires coadunantem) affectus hominis adeò vigorosi in ipso efficiuntur visitatione ignearum exercitationum huiusmodi amoris (hominem cum Deo vnientis,) quòd se momentò submersum inueniet in abyssi amoris Dei, & separatù ab omnibus creatis, mox ut per præfatum exercitium se ad Deum conuerterit. Et istud propriè est origo, fundamentum, & instrumentum vitæ contemplatiuæ, quod quicumque in actiua vita inuenire poterit, citò proficere valebit in virtutibus, & sui ipsius mortificatione, ac peruenire ad vitam contemplatiuam. Et vocatur istud instrumentum, gratia operans, de qua adhuc multa audiemus. Cæterum, quid intelligi debeat per verba illa, aspirare ad amorem vnitiuum, in consequentibus declarabo in vita contemplatiua. In ijs autem, quæ dicta sunt, habetur plena præparatio ad vitam actiuam, & origo vitæ contemplatiuæ.

*De mercenarijs, & seruis infidelibus. Cap. XVIII.*

Fundamen-  
tum vitæ  
contem-  
platiuæ.

Seruum  
infidelium  
sarrago.

**E**st tamen hic notanda vna regula generalis, deseruiens cuiilibet ex his tribus statibus, scilicet quòd tria sunt, quæ homines in diuino seruitio faciunt seruos non fideles, sed mercenarios, dignos à Deo contemni, & condemnari. Primum est, quòd quis in omni exercitio querit seipsum, & propriam utilitatem consequi: puta sensibilem gratiam, deuotionem, meritum, & gloriã; vel etiam incommodum proprium euitare, puta temporale damnum, confusionem, pœnam, vel plagam, purgatorium, infernum, & similia. Imò est inuenire nonnullos, qui contemnunt omnia, & strictam religionem, aut pœnitentiam assumant, omnemque gaudenter sustineant aduersitatem, ad acquirendam vitam æternam, vel euadendam pœnam æternam, & tamen non stant in gratia, nec etiam in charitate Dei. Nam taliter egit Plato-



Platonis discipulus, qui audiens Platonem disputantem de futura felicitate, illa quæ desiderans, se præcipitem dedit, & fregit cervicem, ut peruenire posset ad felicitatem, quam audierat commendari, & tamē condemnatus fuit, quia ipse, & Plato ambo erant infideles. Pariformiter Iudæi atq; hæretici voluntariè suscipiunt mortem pro sua fide in spe vitæ æternæ. Secundū est, quod opera sua, & exercitia valde magna reputat, & inde cōplacentiam habet, plus in seipso, quàm in Deo. Et cum ista fiducia quiescit magis in operibus suis, exercitijs, atq; virtutibus, quàm in libertate filiorum Dei, quam dulcis Iesus suo pretioso sanguine multum amorosè mercatus est. Tertium est, quod nunquā tam fideliter Deo famularetur, nisi speraret bonum præmium se inde recepturum, vel si sciret non esse infernū, purgatorium, vel iudicium extremum: quia talia plus metuit, quàm Deum offendere. Istiusmodi homines sunt mercenarij, nec digni peruenire ad vitam æternam, aut percipere gratiam, & amorem Dei.

*De ornatu vitæ actiue, per virtutes morales. Cap. XIX.*

PRO secundo considerandum est, qualiter homo ornari debeat ad congruam vitā actiuam agendam. Sciendū itaque, quod ornatus vitæ actiue propriè cōsistit in virtutib⁹ moralibus, quas tam aliquis possidere potest extra, & sine gratia gratum faciēre, quemadmodum legimus Philosophos gentiles ad eō mortificatos fuisse naturalibus passionibus, & ornatos naturalibus virtutibus, ut in aliquibus, & aliquando vix inferiores fuerint multis Sanctis, prout notare possumus, quod ad contemptum bonorum temporalium, & desideriu paupertatis in Diogene ostensis, quādo sedebat in dolio, & abiciebat scutellam suam, considerans quod manu sua haurire aquam posset. Similimodo etiam in patetia Philosophi Sabbon, & de cæteris virtutibus moralibus. Quamuis autem nulla virtus moralis sine gratia Dei sit salubris, aut conferre possit beatitudinem, tamen nemo potest salubriter uti diuina gratia sine moralibus virtutibus: & ideo oportet hominem in principio emendationis suæ laborare pro virtutibus moralibus adipiscendis, ipsasque Deo acceptas efficere per impetrationem gratiæ Dei. Idcirco in his tribus statibus præcipuè satagere debet pro ipsis virtutibus semper plenius obtinendis: ad quod peruenire non poterit, nisi cum magno labore, diligentia, & orationibus. Nec mirum, cum virtutes quid nobilissimum citra Deum sint, & similes nos Deo efficiant, imò faciant homines deos, hoc est, deiformes:

Xxx 2 & ipsæ

Virtutes  
morales.